


datum, quod sit AC cum AB , datur ergo per Canonem AC in partibus, quibus est dimetiens circuli circumscriptentis triangulum ABC partium 200000. & pro ratione data ipsius AC , ad AB , datur in similibus partibus AB , atq; per canonē, qui sub ACB angulus cum reliquo BAC angulo, per quem etiam CB subtēsa datur, qua ratione data dantur quomodolibet magnitudinē.

VII,

Datis omnibus trianguli lateribus dantur anguli. De Isopleuro notius est, quā ut indicetur, quod singuli eius anguli trientem obtineant duorum rectorum. In Isoscelibus quoque perspicuum est. Nam æqualia latera ad tertium sunt, sicut dimidia diametri ad subtendentem circumferentiam, per quem datur angulus æqualibus compræhensus lateribus ex Canone, quibus circa centrum $CCCLX$. sunt quatuor rectis æquales, deinde cæteri anguli qui ad basim, etiam dantur è duobus rectis tanquam dimidia. Super est ergo nunc & in Scalenis triangulis id demonstrari, quos similiter in orthogonios partiemur. Sit ergo triangulum scalenum datorum laterum ABC , & ad latus, quod



longissimum fuerit, ut puta BC , descendat perpendicularis AD . Admonet autem nos $XIII$, secundi Euclidis, quod AB latus, quod acutū subtendit angulum, minus sit potestate cæteris duobus lateribus, in eo quod sit sub BC & CD bis.

Nam acutum angulum esse oportet, eueniet alioqui & AB longissimum esse latus contra hypothesim, quod ex $XVII$. primi Euclidis & duabus sequentibus licet animaduertere. Dantur ergo BD & DC , & erunt orthogonia ABD & ADC datorum laterum & angulorum, ut iam sæpius est repetitum, quibus etiam constant anguli trianguli ABC quæ sit. Aliter.

Itidem cōmodius forsitan penultima tertij Euclidis nobis exhibebit, si per breuius latus, quod sit BC , facto C centro, interuallo autem BC , describerimus circulum, qui ambo latera quæ super sunt, uel alterum eorum secabit. Secet modo utrumq; AB in B signo, & AC in D , porrecta etiam linea ADC in F signum ad complendum diametrum DCF . His ita præstructis manifestum est ex illo Euclideo præcepto: Quoniam quod sub FAD æquale est